

de cæteris actibus supernaturalibus : sunt autem ex Deo media gratia adjuvante; est ergo necessaria ad hos actus gratia physice adjuvans.

7. *Gratia supernaturalis ordinis physice adjuvans non est necessaria ad actus virtutum acquisitarum.* — Hæc autem quæ de gratia physice adjuvante ad actus supernaturales diximus, non eodem modo locum habent in actibus virtutum acquisitarum. Nam cum illi sint in substantia naturales, et per actionem ordinis naturalis fiant, nihil in physico principio, seu in speciali influxu proximo superans ordinem naturæ ex parte Dei requirunt. Et ratio est, quia isti actus sunt proportionati viribus naturalibus voluntatis et intellectus. Unde in his potentiis sunt integræ vires per se requisitæ ex parte principii proximi principalis talium actuum; ergo ad illos non est necessaria, per se loquendo, gratia physice adjuvans potentiam per modum principii proximi. Unde in hoc est notanda differentia inter gratiam moraliter vel physice adjuvantem; nam prior ad hos actus necessaria est, non vero posterior. Est autem ratio differentiæ, quia gratia adjuvans non est necessaria ad hos actus per se, et ex natura potentiæ, sed per accidens, ex lapsu humanæ naturæ, et ex impedimentis ad bene operandum inde subortis, contra quæ gratia moraliter adjuvans necessaria est, ut paulo ante explicuimus. Augmentum autem virtutis per se activæ ipsius potentiæ non est necessarium, quia vires potentiæ non sunt per peccatum diminutæ, ut supra libro 4 late probatum est. Et hoc optime declarat innocentia status, in quo nec physice gratia adjuvans erat necessaria ad hos actus, quia potentia in se erat eadem, quæ nunc est, nec moraliter adjuvans, quia tunc non erant impedimenta lapsæ naturæ.

8. *Possibile est auxilium gratiæ physice adjuvantis naturalis ordinis, licet non sit necessarium.* — Dixi autem ad hos actus non requiri gratiam physice adjuvantem supernaturalis ordinis, quia eo modo quo isti actus possunt fieri et sæpe fiunt, ex aliquo auxilio gratiæ naturalis ordinis, ita etiam auxilium adjuvans, quod ad illos datur, vel dari potest, gratuitum et absque naturali debito collatum reputari potest, et ita appellari gratia ejusdem ordinis. Hoc patet a simili de concursu ipso generali: nam licet hic debeatur potentiæ ad actus sibi conaturalis suppositis aliis prærequisitis ad agendum; tamen quando Deus, speciali modo et auxilio non debito voluntati, verbi gratia,

præparat illam cum omnibus prærequisitis, ut convenienter operetur, tunc ille concursus non est debitus naturæ. Et tamen, ut probabilior fert opinio, habitus acquisitus physice adjuvat potentiam, et auget virtutem agendi, non per intensionem, sed per multiplicationem virtutis: erit ergo illa gratia physice adjuvans. Idemque potest facere Deus per motionem aliquam, vel influxum physicum majorem, quam tali actui vel potentiæ ex natura rei debeatur. Hoc autem genus auxilii, licet possibile sit, non est necessarium, ut dixi, imo rarum et extraordinarium esse censeo. Occurrebat autem hic opinio quæ ad hos etiam actus requirit gratiam efficacem physice prædeterminantem, quæ si datur, sine dubio physice adjuvat. Illa vero opinio coincidit cum alia Gregorii, quam supra libro 4 impugnavimus, et generatim de omnibus actibus tractanda est in libro 5, et in discursu hujus aliquid attingemus, dicendo de divino concursu, et ideo necesse non est in præsentem circa illam amplius immorari.

9. *Applicari potest eadem divisio gratiæ physice et moraliter adjuvantis ad gratiam adjutricem, et auxilium gratiæ.* — Ex dictis igitur satis declarata manet divisio posita de gratia physice, vel moraliter adjuvante, quæ ad principium adjuvans, et ad ipsum actuale auxilium applicari potest. Proprius tamen videtur utrumque membrum in physice adjuvante inveniri: nam habitus per se infusus, ut diximus, physice adjuvat potentiam ad actum supernaturalem eliciendum, et quando deest habitus, aliquod aliud principium necessarium est, quod physicam ejus activitatem suppleat. Actualis vero influxus in supernaturalem actum, prout a tali principio procedit per se ac physice, et realis est, ac proinde est etiam actualis gratia physice adjuvans: hoc ergo genus adjutorii tam habituali gratiæ quam actuali auxilio cooperanti proprie convenit. At vero adjutorium morale neque habitui, neque actuali influxui videtur convenire: imo, si quis recte consideret quod ad probandum hoc adjutorium morale adduximus, magis videtur ad excitantem gratiam quam ad adjuvantem pertinere: nam ipsemet motus gratiæ excitantis, quatenus formaliter afficit potentiam, moraliter confortat illam, et nullum alium influxum quasi effectivum habere videtur, quæ objectio petit ut amplius explicemus discrimen inter gratiam excitantem et actu adjuvantem, quod in sequentibus capitibus commodius faciemus.

CAPUT XVI.

QUIBUS MODIS DIFFERAT ACTUALIS INFLUXUS GRATIÆ ADJUVANTIS, AB EXCITANTE GRATIA.

1. *Opinio negans gratiam adjuvantem realiter ab excitante distingui.* — Nonnulli auctores absolute docent gratiam excitantem non re, sed ratione distingui ab adjuvante: nam eadem prout formaliter afficit potentiam illuminando vel actu inclinando illam, dicitur excitans; prout vero obtinet a voluntate consensum, dicitur adjuvans. Unde quatenus excitans est, separari potest a consensu, et esse prior tempore illo; quatenus vero habet subsequentem consensum, et est aliquo modo actualis causa illius, simul denominatur adjuvans, quæ videtur tantum distinctio rationis, vel cujusdam habitudinis. Et hoc suadet testimonio Concilii Tridentini supra tractato, quia videtur de his gratiis tanquam de una loqui. Et similiter Augustinus, ut infra videbimus, de gratia operante et cooperante, tanquam de una loqui solet: illæ autem cum excitante et adjuvante coincidunt, ut ibidem dicemus.

2. *Assertio.* — *Gratia adjuvans addit aliquid realiter distinctum ultra excitantem.* — Nihilominus jam in capite 13 ostensum est negari non posse quin adjuvans gratia distinguatur ab excitante, addens ultra illam novum auxilium et beneficium gratiæ. Nunc vero ulterius dicimus, id quod addit actualis gratia adjuvans ultra excitantem, esse aliquid realiter distinctum ab illa. Probatur, quia gratia adjuvans addit realem influxum in consensum deliberatum voluntatis, vel assensum supernaturalem intellectus: hic autem influxus realiter distinguitur ab actu gratiæ excitantis; ergo actualis gratia adjuvans addit rem distinctam ab excitante. Major satis declarata est in capite præcedenti. Minor autem per se clara est, quia motus gratiæ excitantis, et actus deliberatus voluntatis vel intellectus, realiter inter se distinguuntur, ut per se notum est: sed hic influxus gratiæ adjuvantis est idem realiter cum actu deliberato, quia nihil est aliud quam actio ejus, prout ab aliquo supernaturali principio procedit; ergo distinguitur realiter a motu gratiæ excitantis. Quæ ratio adeo clara est, ut in hoc puncto nulla videatur esse dissensio inter Theologos, quæ ad rem pertineat. Ut autem etiam in modo loquendi auferatur, advertenda est distinctio

quam supra posui de gratia adjutrice et in actu secundo, nam hæc duo membra licet propriissime reperiantur in adjutorio physico, etiam in morali possunt convenienter distingui. Gratia ergo excitans, per se spectata, est moraliter adjutrix, et hoc probant omnia adducta capite præcedenti, in priori membro tertiæ divisionis. Et hoc modo verum est denominationem hanc adjutricis gratiæ nihil addere gratiæ excitanti, sed esse eandem sub alio respectu conceptam. Nam sicut in physicis eadem forma, verbi gratia, calor, est dispositio quatenus formaliter afficit subjectum, et est quasi potentia activa quatenus est principium proximum calefaciendi; ita, servata proportione, motus gratiæ est excitans, prout est actus quidam formaliter efficiens mentem; quatenus vero de se potest juvare ad consensum, habet rationem principii efficientis, saltem moraliter, et ut sic vocatur adjutrix gratia.

3. *Quando non obtinet consensum, dicitur gratia adjutrix.* — *Quando obtinet consensum proprie denominari potest gratia moraliter adjuvans.* — Neque obstat quod gratia excitans in sua entitate sit actus secundus, nam hoc habet quatenus est forma intellectum vel voluntatem formaliter efficiens, nihilominus tamen respectu alterius actus potest cooperari, ut principium efficiens in actu primo, quando illum actu non efficit. Sic ergo gratia excitans est adjutrix, et ita in re sunt idem, ut dixi. Adjuvans autem non denominatur in suo genere, seu in suo modo adjuvandi, nisi quando voluntas actu consentit: quia, ut c. 13 ostensum est, gratia non est adjuvans, nisi aliquid efficiat is qui juvatur: cum autem adjutorium hoc sit morale, ut diximus, necesse est ut homo moraliter consentiat, quando per gratiam excitantem actu juvatur. Tum autem vere et proprie denominari potest gratia adjuvans moraliter, quia sicut prius, tempore vel natura, quam voluntas consentiat, hæc gratia excitat hominem ad talem actum, ita etiam in ipso actuali consensu moraliter juvat ad præstandum illum, vel ad perseverandum in illo, ad eum modum quo unus homo exhortando juvat alium, prout loquitur Paulus 2 ad Corinth. 6: *Adjuvantes exhortamur*, etc. Talis autem denominatio adjuvantis respectu gratiæ excitantis, est quasi extrinseca proveniens ab illa actione, qua fit consensus, seu deliberatus actus voluntatis, vel intellectus; nam sicut agens sic denominatur ab actione, ita etiam hæc gratia denominatur actu adjuvans ab actione

ab illa suo modo prodeunte. Neque obstat quod illa actio vel influxus quo fit actus deliberatus, in se sit physicus et realis influxus, nam præcise spectatus, ut est a gratia excitante, sic tantum est ab illa moraliter, et ita induit rationem moralis causalitatis, sique denominat suum principium moraliter adjuvans. Ad eum modum quo dixi in Metaphysica eundem influxum, prout est a causa finali, esse causalitatem finis, et prout est a principio activo, esse causalitatem efficientis; ita enim in presenti idem influxus gratiæ adjuvantis, qui est physicus respectu alterius principii, moraliter est ab excitante gratia, et ratione illius, sine ulla confusione, vel verborum æquivocatione, adjuvans denominari potest.

4. *Assertio secunda.* — *Rectius dicimus actualem gratiam excitantem non esse effective a nobis, adjuvantem non dari sine nostra cooperatione.* — Atque ex his possunt colligi aliæ differentię inter actualem gratiam et adjuvantem, et excitantem, quas alii jam annotarunt; eas vero judicare oportet, et in vero sensu explicare. Prima est, quod gratia excitans est effective a solo Deo, adjuvans a Deo et ab homine, tradit Vega lib. 6 in Trident., cap. 8; fundatur tamen in illa sententia, quod motus gratiæ excitantis nullo modo est effective a nobis, quam supra reprobavimus. Ut ergo differentia recte subsistat, dicendum est excitantem gratiam non esse effective a libero arbitrio, adjuvantem autem non dari sine cooperatione liberi arbitrii. Et hoc modo prior pars satis probata est in superioribus, ubi etiam in hoc sensu explicavimus sententiam Patrum, dicentium hanc gratiam fieri in nobis sine nobis, utique morali et humano modo operantibus. Altera vero pars intellecta de actuali gratia, ut loquimur, vera est; nam, ut dicebam, hæc gratia adjuvans non est nisi actio ipsa qua fit actus fidei, vel charitatis, vel alii similes; isti autem actus non fiunt in nobis sine morali, et libera cooperatione nostra. Cum autem aliquis actus hujusmodi fit a Deo et nobis, non interveniunt ibi duæ actiones, altera Dei, altera nostra, sed una indivisibilis, quæ ab utroque principio, proximo et principali seu universali essentialiter pendet, ut infra latius ostendemus; ergo talis actio fieri non potest in nobis sine nobis moraliter et libere cooperantibus.

5. *In actione gratiæ adjuvantis duplex est habitudo: una ad Deum, alia ad liberum arbitrium.* — Possunt autem in illamet actione duæ

habitudines distingui, una ad Deum, et alia ad liberum arbitrium, et secundum priorem dici potest tribui a solo Deo, et consequenter dici etiam potest, ut habet rationem gratiæ adjuvantis, esse a solo Deo, nam ut est a nobis, potius sumus adjuvatores Dei; sed hoc non refert; tum quia non de respectibus, sed de re ipsa agimus, et in re omnino una et indivisibilis est illa gratia, solumque per inadæquatos conceptus, seu ratione ratiocinata cum virtuali fundamento in re, illo modo distinguitur; tum etiam quia eadem, prout est a libero arbitrio, non est ab illo ut naturaliter operante, sed ut elevato, et ut instrumento divinæ virtutis, ideoque etiam sub illo respectu pertinet ad beneficia gratiæ. Dixi autem hanc partem intelligendam esse de actuali motione adjuvantis gratiæ, quia in gratia adjuvante per modum principii locum non habet. Nam illud principium vel est habitus infusus, qui a Deo fit in nobis sine nobis coagentibus, licet in adultis non fiat sine aliqua prævia dispositione libera, in quo etiam differt ab excitante gratia; vel si deest habitus, id quod supplet vicem ejus multo minus potest fieri a nobis, quia vel est motio a solo Deo impressa, vel ipse Deus, ut videbimus. Et ratio clara est, quia talis gratia prærequiritur ad cooperationem nostram tanquam principium efficiens ejusdem actionis; ergo non potest idem principium esse ex libera cooperatione nostra. Non desunt tamen qui præter dictam actualem gratiam adjuvantem, quam explicuimus, ponant aliam etiam actualem et adjuvantem, quam Deus efficit in nobis, non solum sine nobis libere cooperantibus, sed etiam nec physice illam efficientibus, quam propterea et præoperantem et prædeterminantem appellant. Nos vero tale genus auxilii neque agnoscimus neque admitimus, sed quia prolixam petit disputationem, ex parte in hoc libro inchoabimus, et in quinto consummabimus; ideo nunc nostram sententiam supponendo, simpliciter loquimur et procedimus.

6. *Assertio tertia.* — *Differentia secunda est quod gratia excitans sæpe tantum sufficiens est, adjuvans vero semper efficax.* — Secunda differentia est, quia gratiæ excitanti de se resisti potest, et ideo sæpe tantum est sufficiens, quia ei resistitur; adjuvanti autem nunquam resistitur, sed semper est efficax, id est, habet effectum. Hanc differentiam notavit idem Vega, et prior ejus pars sumitur ex Concilio Trident., dicto cap. 6, ibi: *Quippe qui et illam abjicere potest*; et can. 4, ibi: *Posse dissentire,*

si velit; et ex Concilio Senon., in decreto 15 fidei, quæ duo Concilia plane docent hanc potestatem resistendi huic gratiæ necessariam esse, ut non tollat libertatem, de qua re in lib. 5 ex professo dicendum. Altera vero pars ex supra dictis est manifesta, quia gratia adjuvans actualis non datur nisi homini actu operanti et consentienti: qui autem consentit, non resistit. Item hæc gratia adjuvans est ipse influxus Dei vel habitus in actum deliberatum voluntatis, qui influxus in re non distinguitur ab actione ipsius hominis; ergo cum hæc gratia actu datur, jam homo non resistit. Quæ rationes probant esse impossibile hominem resistere huic gratiæ: est autem illa impossibilitas composita (ut sic dicam), et ideo non repugnat libertati. Nam hæc gratia involvit, seu habet concomitantem liberum influxum voluntatis, et ideo, eo ipso quod talis gratia dari supponitur, simul etiam supponitur usus liber voluntatis consentientis, cum quo non stat simul resistentia, quæ fit per actualem dissensum, vel negationem consensus, quæ est repugnantia sensus compositi, quia non potest simul esse et non esse, de qua dixit Aristoteles: *Res quando est, necesse est esse.*

7. *Uberius declaratur eadem differentia.* — Et in hoc est aperta differentia inter hanc adjuvantem gratiam et excitantem, nam excitans est simpliciter prior libero usu voluntatis, nec involvit liberam cooperationem ejus aut ab illa pendet, ideoque non habet necessariam connexionem cum illa, alias illa non esset necessitas composita (ut aiunt), vel secundum quid, sed absoluta et simpliciter, et ita tolleret libertatem, et cum eam non tollat, ut supponimus, semper potest voluntas ei resistere, si omnis alia suppositio tollatur, quod secus est in gratia actu adjuvante, ut jam explicavi. Dico autem *actu adjuvante*, quia si talis gratia consideretur solum ut oblata ex parte Dei, et quasi in actu primo existente in potestate hominis, sic aufertur dicta compositio, et ideo non minus potest ei resisti, quam gratiæ excitanti, propter eandem rationem. Item autem occurrebat hic quæstio, an detur aliqua gratia adjuvans non involvens dictam compositionem, sed prior natura seu causalitate, quam cooperatio hominis, cui resisti non possit, vel cui infallibiliter non resistatur. Item supererat quæstio, utrum detur aliqua gratia excitans cui resisti non possit, vel saltem cui infallibiliter non resistatur; sed de his punctis fere toto libro quinto tractandum est.

8. *Assertio quarta.* — *Differentia tertia est*

quod gratia excitans non est regula sanctitatis majoris, sed hæc sumenda est ex majori gratia adjuvante. — Tertia differentia, quam Vega etiam attigit, est majorem excitantem gratiam non esse (ut ita dicam) regulam sanctitatis majoris, sed hanc sumendam esse ex majori adjuvante gratia; quam etiam indicat Soto, lib. 4 de Nat. et grat., cap. 16, verb. *Per hanc.* Probatur, quia gratia excitans non facit hominem sanctum sine cooperatione libera; potest autem aliquis recipere magna excitantia auxilia, et illis non cooperari, ut fecerunt Judæi, Christo prædicante et miracula faciente; alii vero cum minoribus excitationibus possunt cum adjuvante gratia libere consentire, ut, prædicante Jona, Ninivitæ fecerunt; ergo mensura sanctitatis juxta modum et gradum adjuvantis gratiæ, non solius excitantis accipienda est. Et ita hæc differentia optime confirmatur ex verbis Christi, Matth. 11: *Si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in te, olim in cilicio et cinere penitentiam egissent*; et verbis cap. 12: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam, quia penitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, et ecce plus quam Jonas hic.* Confirmatur etiam ex Concilio Trident., sess. 6, c. 7, dicente: *Justitiam in nobis recipientes unusquisque secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem.* Nam ex his verbis colligimus mensuram sanctitatis in suo genere esse hominis dispositionem: dispositio autem, cum sit actus supernaturalis deliberatus, est proprius effectus gratiæ adjuvantis, cui et nos cooperamur, et illa nobiscum; ergo gratia adjuvans est, etiam in ratione auxilii mensura et regula sanctitatis, quia talis gratia adjuvans servat proportionem cum dispositione et cooperatione nostra, quia nec nos possumus plus cooperari quam Deus nos adjuvet, nec Deus minus adjuvat quam nos cooperemur.

9. *Objectio contra primam partem assertio- nis quartæ.* — *Objectio contra secundam illius partem.* — Sed objici potest contra utrumque membrum. Contra primum quidem, quia idem Concilium ait *justitiam dari secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult*; ergo prima et unica mensura sanctitatis est voluntas Dei, quæ magis vel minus efficaciter hominem vocat, prout vult; ergo potius vocatio quam gratia adjuvans est prima mensura sanctitatis; vocatio autem pertinet

ad gratiam excitantem. Et confirmatur ex Augustino, qui multis in locis ad vocationem reducit totam varietatem in hominis conversione vel sanctificatione, ut videre licet in dicta quæst. 2 ad Simplician., et lib. de Dono persever., cap. 14. Contra alteram vero partem fit objectio, quia sequitur conatum liberi arbitrii esse radicem et mensuram sanctitatis, quod videtur esse Semipelagianum. Sequela patet, quia gratia adjuvans quoad actuale influxum datur juxta conatum liberi arbitrii; nam si liberum arbitrium non conetur, non datur; si autem conetur, datur, et ita semper juxta proportionem nostri conatus tribuitur; ergo tandem in nostrum conatum fit ultima resolutio.

10. *Ad primam.* — Ad priorem partem, respondetur voluntatem Dei esse primam et principalem causam auxilii adjuvantis, et ideo quamvis auxilium sit veluti proxima mensura sui effectus, non excludere, imo includere voluntatem Dei, tanquam primam et principalem causam. Ad Augustinum vero respondemus, nos hic loqui de auxilio excitante, generaliter abstrahendo ab efficaci vel sufficiente: Augustinum autem illis locis loqui de vocatione congrua, quæ est auxilium excitans efficax, et de illo etiam est verum esse certam regulam sanctitatis; tamen id habet, quatenus aliquo modo includit auxilium adjuvans, ut libro quinto dicitur.

11. *Ad secundam.* — Ad alteram partem, respondetur conatum liberi arbitrii, si per se solum consideretur, non solum non esse regulam sanctitatis, verum etiam nihil per se conferre, ut Pelagiani errabant. Conatus autem liberi arbitrii ut cooperantis adjuvanti gratiæ multum valet ad salutem, et in suo genere potest dici mensura sanctitatis, cum Concilium dixerit illam infundi juxta hominis dispositionem et cooperationem. Inde tamen non sequitur conatum liberi arbitrii esse rationem in qua fit ultima resolutio, cur homini talis vel tanta gratia tribuatur; tum quia (ut dixi) conatus liberi arbitrii non est separandus ab influxu gratiæ adjuvantis: tum etiam quia licet auxilium gratiæ adjuvantis non conferatur nisi cooperanti arbitrio, nihilominus talis cooperatio non est ratio ob quam datur tale auxilium, sed est concausa sine qua non datur: tum denique, quia etiam ille conatus est ex vocatione, et in illam ut in priorem causam reducit, ut in libro quinto latius dicemus.

12. *Quæstiuncula: utra sit major gratia excitans, vel adjuvans.* — *Motiva pro gratia ex-*

citante. — *Motiva pro adjuvante.* — Ex his vero incidens oritur quæstiuncula, quæ, videlicet, sit major gratia, cæteris paribus, seu ex suo genere, an excitans vel adjuvans. Videri enim potest excitans. Primo, quia magis gratiæ datur, vel saltem minus dependenter a nostra libertate: nam fit in nobis sine nobis, cum tamen adjuvans non datur sine libera cooperatione nostra, in quo videmur nos aliquid ad illam conferre, ex quo capite videtur ratio gratiæ in illa minui. Secundo, quia gratia excitans ex suo genere non supponit aliam gratiam, et ideo si resolvatur usque ad primam, non potest cadere sub meritum, nec esse ullo modo debita. Adjuvans autem gratia ex suo genere, vel cadit sub aliquod meritum quatenus liberum usum postulat, vel saltem semper est debita ratione alicujus gratiæ prioris, quam semper supponit, et ita semper est gratia pro gratia. In contrarium vero est, primo, quia gratia adjuvans magis sanctificat hominem quam gratia excitans, ut in puncto proxime præcedente dicebamus. Secundo, quia actus fidei, charitatis, et similes, qui libere fiunt per virtutes infusas, perfectiores sunt in speciebus suis, quam motus gratiæ excitantis, qui illis cum proportionem respondent, seu qui propter illos dantur, ut videtur per se notum ex hæcenus dictis; tum quia actus virtutum theologiarum sunt perfectissimi in toto ordine gratiæ, et idem est de cæteris cum proportionem; tum etiam quia motus indeliberati gratiæ excitantis ordinantur ad hos actus tanquam imperfectum ad perfectum: sed influxus gratiæ adjuvantis proxime datur ad hos actus perfectos, et realiter est idem cum illis; ergo est perfectior quam excitans gratia.

13. *Resolutio.* — *Gratia adjuvans major est in perfectione absoluta entis.* — *In ratione doni gratuiti servant quamdam æqualitatem.* — Respondetur has duas gratias posse comparari, vel in absoluta perfectione entis, vel in ratione seu habitudine liberalis seu gratuiti doni. Priori modo præferenda videtur gratia adjuvans propter rationes factas, nec quoad hoc obstat quod actio gratiæ adjuvantis pendeat a libero arbitrio; tum quia pendet ab illo ut ab instrumento Dei per obedientialem potentiam operante, quod actionis perfectionem non minuit: tum quia etiam motus gratiæ excitantis pendet effective a nostris potentiis, quamvis prior dependentia sit libera, et non hæc posterior, quod non minuit prioris perfectionem, sed potius commendat. In ratione autem doni liberalis fere servant quam-

dam æqualitatem, quia etiam gratia adjuvans, si reducat ad primam in suo genere, non potest cadere sub meritum vel dispositionem hominis, quia non magis supponit opus liberum meritorium, quam gratia excitans; et quamvis requirat cooperationem liberam, non tamen priorem, nec ut rationem ob quam datur, sicut dixi, et ideo nihil minuitur ratio gratiæ. Dixi autem *fere*, quia licet neutra istarum gratiarum sit debita homini alicujus conditionis, naturæ tamen inter se servant ordinem, ideoque, supposita gratia excitante, ratione illius potest adjuvans dici aliquo modo debita, quod absolute non minuit rationem gratiæ, quia illud debitum non tam est respectu hominis quam ex parte Dei et providentiæ ejus, et ex quadam proportionem inter gratias ipsas.

CAPUT XVII.

UTRUM GRATIA EXCITANS SIT PRINCIPIUM PHYSICE ADJUUVANS, PRÆSERTIM UBI HABITUS INFUSUS DEEST.

1. *Status quæstionis explicandæ.* — Diximus de actuali influxu gratiæ adjuvantis, superest ut explicemus quod sit principium supernaturale, a quo proxime et principaliter tale auxilium efficitur; hanc enim supra appellavimus gratiam adjuvantem per modum principii: non tractamus autem de influxu Dei per modum generalis concursus, de quo postea videbimus. Nunc igitur solum agimus de proprio principio particulari, quod juvat potentiam, quæ de se est insufficientis principium proximum ad eliciendos actus illos. Duobus autem modis potentia elicit actus illos: primo, quando jam est informata habitu, et de hac etiam nunc non tractamus, quia supponimus jam habere intrinsecum principium coadjuvans: an vero indigeat aliquo alio auxilio, postea videbimus. Alio ergo modo contingit hujusmodi actum elici a potentia nondum informata habitu, ut in conversione ad fidem contingit in prima voluntate credendi, et in conversione peccatoris fidelis in ultima dispositione ad gratiam, ut infra videbimus; et certior est in remotis dispositionibus supernaturalibus, quæ etiam tempore antecedunt habitualement justitiam, et a solo habitu spei sæpe elici non possunt. De his ergo actibus est difficultas, a qua gratia adjuvante per modum principii physice procedunt.

2. *Prima opinio.* — *Actus supernaturales procedere a gratia excitante tanquam a principio physico.* — *Probatur primo.* — Nonnulli

moderni Theologi docuerunt hujusmodi actus procedere effective ab ipsa gratia excitante, et illammet juvare potentiam tanquam principium physicum ad eliciendum actum. Et primo ad id suadendum inducunt Concilium Trident., sess. 6, cap. 5, quatenus dicit *peccatores vocari a Deo, ut per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur.* Significat enim Concilium, hominem cooperari gratiæ excitanti; ergo etiam sentit excitantem gratiam cooperari ipsi homini: nam hæc duo correlativa sunt, et consequendo etiam significat eandem gratiam excitantem cooperando homini fieri adjuvantem; ergo sicut cooperatio hominis physica est, ita etiam cooperatio gratiæ excitantis; ergo est gratia adjuvans per modum principii physici.

3. *Probatur secundo.* — Secundo, ad idem inducitur Augustinus, quatenus sæpe docet vocationem esse gratiam efficacem, unde aliquando vocat illam effectricem bonæ voluntatis, interdum de illa dicit dare vires efficacissimas voluntati, sæpe etiam per vocationem dicit facere Deum ut velimus, vel ut faciamus, et auferre ab homine cor lapideum, et dare cor carneum, et similes effectus quos Scriptura divinæ gratiæ tribuit. Hos autem effectus facit Deus in nobis vere et physice; ergo principium proximum, per quod illos facit, est vocatio; ergo etiam vocatio facit illos proprie et physice, nam illa verba hoc in proprietate significant, et nulla est ratio ob quam ad metaphoricos sensus trahantur. Vocatio autem (ut sæpe diximus) est gratia excitans; ergo.

4. *Probatur tertio.* — Tertio, additur ratio, quia voluntas indiget aliquo principio supernaturali coefficiente hujusmodi actum, et non habet habitum, ut supponimus, nec aliud potest facile fingi; ergo non potest esse nisi excitatio ipsa. Et confirmatur, nam per illam datur homini auxilium sufficiens, ut possit operari, si velit; ergo per illam datur principium physice adjuvans: nam sine hoc non potest voluntas velle, sicut oportet; ergo hoc etiam principium datur per gratiam excitantem; ergo ipsamet gratia excitans est tale principium, quia præter illam nihil cum illa, aut ex vi illius necessario datur.

5. *Rejicitur hæc opinio.* — *Quia gratia excitans neque est forma connaturalis ad hunc effectum, neque instrumentum physicum Dei ad juvandam voluntatem.* — Nihilominus assero